

Utinam brevi ederes Tua; nec cunctando differres; scias fata semper esse adversa maximis inventis, et dum deliberatur perit saepe Saguntum.

Adeoque debes quamprimum edere primaria, et dein, si ita visum augere observatis. Vita fragilis est, cui numquam aliquid inaedificandum.

Vale. haec raptim; debeo hodie petere Holmiam, et post octiduum redire.

Dabam Upsaliae 1760, d. 17. Martii.

9.

Viro Celeberrimo DD. Nicol. Jacquinio Med. Doct.
s. pl. d. Car. Linnaeus Equ.

Heri Tuas 29. Martii datas, una cum inclusis seminibus rite habui, pro quibus et singulis gratissimam mentem reddo.

Drypis istius ramulus et adcuratissima descriptio tanto me affecit gaudio, ut id efari nequeam. ultimo anno quo vixerat p. m. Michelius, Hartecampi commoratus petii ab eo ramulum, simulque numerum staminum etc. rescripsit vero ille se missurum ramum proxima aestate, et se observasse attente florem, esse omnino *Lychnidis* absque corona, cum 10 staminibus et 3 pistillis, ut in reliquis. ille periit, interim in meo herbario deficiebat *Drypis*, adeoque hoc anno e tribus amicis in Italia petii ramulum *Drypis*, promiserunt; at nunc, si non accipiam, carere potero. Disco quotidie quod non debeam ullius oculis adhibere fidem, nisi propriis, nec umquam assumere genus, nisi palpatum propriis manibus.

Certe quidquid sit, et ego et omnes botanici sumus in aere nobilis D. Consilarii de Mygind, qui vivam plantam tam accurate et egregie examinavit, et determinavit non modo coronam corollae, sed et stamina 5 tantum, ac